Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 767
Quelle:
Copyright:

verbis *Quaeſtionis* LI. quae in *Codice* XX. eſt: *quantum eſt. utique bonum eſt. ſed etiam quia tale eſt* &c. Vides alio ordine procedere in *Codice* Quaeſtiones, quam quidem *Auguſtinus* ipſe *Libro I. Retractat. c.* 26. ſtatuerit. Ejus itaque Ordinem cum noſtro contendam: LI — XX. LII — XXI. I — XXII. VIII — XXIII. XL — XXIV. XXXVIII — XXV. XXXIX — XXVI. II — XXVII. XXIV — XXVIII. III — XXIX. IV — XXX. V — XXXI. VI — XXXII. VII — XXXIII. IX — XXXIV. X — XXXV. XII — XXXVI. XIII — XXXVII. XXI — XXXVIII. XXVI — XXXIX. XLI — XL. XXIX — XLI. XXX — XLII. XXXI — XLIII. XXXII — XLIV. XXXIII — XLV. XXXIV — XLVI. XXXV — XLVII. XXXVI — XLVIII. LXXVII — XLIX. LXXVIII — L. XLV — LI. LIII — LVI. XLIX — LVII. LXXXI — LVIII. LXXX — LIX. Ab hac *Adverſus Apollinariſtas* Quaeſtione in *Cod.* noſtro ſequuntur Quaeſtiones XV. ex ſpurio *Viginti unius Sententiarum Libro*, quem in unico *Coenobii Michaelini* Codice repertum *Mauriani* in *Append. T. VI. col.* 1. referunt. Dabo inſcriptiones et initia: LXV. *De Corporis Reſurrectione. Excepto eo, quod omnium fide dignum eſt* &c. LXVI. *Fides Spes Caritas. Fides ſine ſpe et caritate eſt* &c. LXVII. *Philoſophia in tres Partes diſtribuitur. Moralem. Naturalem. rationalem* &c. LXVIII. *Antequam peccaſſet Adam. Anima erat rationalis perfecta* &c. LXIX. *Caſum peccantis. Ex arbitrio libero uenientem* &c. LXX. *Cave putes quicquam eſſe verius quam omne quod eſt ex eo eſſe quod per ſeipſum eſt. Et quod ſumme cum ipſo et de ipſo eſt* &c. LXXI. *Quid eſt homini commune. Cum prima alia animalia mortalia* &c. LXXII. *Non poteſt ſua ſponte moueri localiter quod ſenſu caret. Definitur voluntas ita. Voluntas eſt animi motus* &c. LXXIII. *Tria ſunt genera Uirtutum. Primæ ciuiles politicorum* &c. LXXIV. *De Pulchritudine Mundi. Modo ſi placet auribus aequis* &c. LXXVII. *De Idaeis. Omnis tranſitus de loco in locum* &c. LXXIX. *De Malo. Notitia enim euidentior boni* &c. LXXX. *De Libero Arbitrio. Nos autem deo iubente* &c. Ad hujus calcem: *Explicit.* Adparet itaque *Quaeſtiones* has magnam partem ineptas et *Auguſtino* indignas olim cum genuinis ejus *Quaeſtionibus* LXXXIII. confuſas fuiſſe. Sed ad has *Fragmento tertio*, quin et ſequenti redeundum erit.

II. *Fol.* 17. *Fragmentum ſecundum* eſt ex *Auguſtini Libris II. Quaeſtionum Evangeliorum*, qui in Edit. *Maur.* T. III. *col.* 237. incipiunt. Praeit tamen *Fragmentum* ex *Quaeſtionibus ſupracit.* LXXXIII. et quidem *Quaeſt.* LVIII. *de Johanne Baptiſta* ab his verbis inchoans: *ſine cognitione et ſine actione ignava cognitio* &c. Dein procedunt ordine *Quaeſtiones Evangeliorum* incipiendo ab ea, quae in *Editis ſecunda* eſt: *Quod diſcipuli Domini*